SPICILEGIUM IN EPISTOLAM AD HEBRAES ACCEDUNT PROPOSITIONES...

Ramiro Bianchi



SPICILEGIVM

IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS

ACCEDVNT

PROPOSITIONES AD EAMDEM EPISTOLAM

QVAS

FACTA SINGVLIS POST PRIMVM ARGVENDI FACVLTATE

D. RAMIRVS BIANCHI

CREMONENSIS

Florentiae in S. Mariae Angelorum Monachus Camaldulensis

Et Graecarum Literarum, ac S. Th. Auditor

PVBLICAE DISPVTATIONI SVBIICIET

FAVENTIAE AD DIVI HIPPOLYTI

IN DIETA MONACHORVM CAMALDVLENSIVM

AN. CIↃ IↃ CC LXVIII. MENSE MAIO D. H.


PRAESIDENTE

FERDINANDO MINGARELLIO

S. Th. Lectore Camaldulensi emerito, & S. Ind. Congr. Cons.


ac Florentiae Graecarum Literarum, & S. Th. Praelectore Angelico.





FLORENTIAE

Ex Typographia MOVCKIANA. *Praesidum facultate.*



AENEAE . SILVIO . PICOLOMINEO

NATIONE · SENENSI

R. E. CARDINALI

PROVINCIAE · AEMILIAE

DE · LATERE · LEGATO

PIO · IVSTO · EVERGETEI

S E

SVAS · QVE · THEOLOGICAS · PROPOSITIONES

DICAT · CONSECRAT . QVE

D. RAMIRVS · BIANCHI

MONACHVS · CAMALDVLENSIS

DEVOTVS · NOMINI

MAIESTATI · QVE · EIVS:





SPICILEGIVM

IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS.





Uoniam & plurimi, & doctiſſimi Viri de Epiſtola ad Hebraeos eruditiſſime pertractarunt; idcirco actum ageremus, ſi hac de re plena Commentaria edere ſtatuiſſemus. Cum tamen minutiae quaedam nobis ob oculos venerint, aliaque nonnulla hac occaſione ſeſe nobis obtulerint; ſperavimus, fore, ut non omnes, ad quorum manus haec venerint, temperanti Spicilegio offenderentur. Huius itaque vulgandi conſilium non reſpuimus. Quod ſi nonnulla ab aliis iam collecta attingere auſi ſumus; ea ſuſcepti inſtituti ratio, a nobis poſtulare viſa eſt.

I. In primis ergo diſſerere poſſemus de Auctore huius Epiſtolae, & de Lingua qua Auctor uſus fuerit, deque auctoritate huius Scripturae. At cum uberrime iam a pluribus demonſtratum fuerit, eam, & a Divo Paulo Apoſtolo, & Graece ſcriptam fuiſſe; propterea non eſt, cur aliquid rei huic addamus. At quia Clemens Alexandrinus, antiquiſſimus omnium, qui ſuperſint, apud Euſebium (H.E.l.6.c.14.) enuntiavit huius Epiſtolae χρῶτα εὑρίσκεσθαι κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ταὐ-

ταύτης τε Ἐπιστολῆς, καὶ τῶν Πράξεων, *cutem*, ut verbum verbo reddam, *inveniri secundum eloquutionem, & huius Epistolae, & Actuum*; addiditque: οὐ προγεγράφθαι δὲ τὸ, Παῦλος Ἀπόστολος, *praescriptum non fuisse hoc: Paulus Apostolus*: & quia hae potissimum difficultates tum apud Veterum, tum apud Recentiorum nonnullos plurimum valuerunt; liceat aliqua de his dicere; etsi per ea, quae ab aliis adnotata sunt, hae difficultates plane sublatae censeri debeant.

Quo ad *cutem* igitur notum est utique Origenem, cuius iudicium reformari non posse videtur, suis in Homiliis in Epistolam ad Hebraeos (teste Eusebio H. E. lib. 6. c. 25.) dixisse quidem: τὸν χαρακτῆρα τῆς λέξεως τῆς πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολῆς οὐκ ἔχειν τὸ ἐν λόγῳ ἰδιωτικὸν τοῦ Ἀποστόλου, ὁμολογήσαντος ἑαυτὸν ἰδιώτην εἶναι τῷ λόγῳ, τουτέστι τῇ φράσει· ἀλλὰ εἶναι τὴν ἐπιστολὴν συνθέσει τῆς λέξεως ἑλληνικωτέραν, ὡς πᾶς ὁ ἐπιστάμενος κρίνειν φράσεων διαφορὰς ὁμολογῆσαι ἄν. i. e. *dicendi formam in Epistola ad Hebraeos non praeferre imperitiam Pauli in sermone, qui seipsum confessus est* (2. Cor. 11. 6.) imperitum sermone *hoc est phrasi: sed Epistolam Graecae dictionis compositione paullo cultiorem esse; ut omnis sciens discernere phrasium differentias confessus fuerit*: At est etiam, ab eo additum (ibid.) τὰ νοήματα τῆς ἐπιστολῆς θαυμάσια εἶναι καὶ οὐ δεύτερα τῶν ἀποστολικῶν ὁμολογουμένων γραμμάτων, καὶ τοῦτο ἂν συμφῆσαι εἶναι ἀληθὲς πᾶς ὁ προσέχων τῇ ἀναγνώσει τῇ ἀποστολικῇ, i. e. *Epistolae sententias admirabiles esse, neque inferiores iis, quae Apostoli esse confitemur: istudque omnis, Apostolicae lectioni attendens, verum esse dederit*. Quapropter ibi Origenes in eam sententiam abiit, ut *fere asseruerit sententias quidem Apostoli esse; at dicendi rationem, compositionemque alterius, qui ex iisdem sententiis commentarium ediderit*: ἐγὼ δὲ ἀποφαινόμενος εἴποιμ' ἄν, ὅτι τὰ μὲν νοήματα τοῦ Ἀποστόλου ἐστίν· ἡ δὲ φράσις, καὶ ἡ σύνθεσις ἀπομνημονεύσαντός τινος τὰ ἀποστολικά: quamvis addat bene audire debere eam Ecclesiam, quae hanc Epistolam ut Pauli retinet, cum non temere Maiores eam, ut Pauli tradiderint.

Praeterea vero idem Origenes in Epistola ad Africanum (§. 9. edit. Maur.) supponit demonstrari posse, Epistolam ad He-

Hebraeos a Paulo ſcriptam fuiſſe. Siquidem, cum ibi aſſeruiſſet vera quaedam apocryphis in Libris ſervata eſſe, id probat ex Epiſtola ad Hebraeos (cap. 11. 17.) ubi Paulus loquitur de iis, quae paſſi ſunt olim Prophetae, inter quae illud: *ſecti ſunt*; quod iuxta traditionem refertur ad Eſaiam; *& hoc habetur in quodam apocrypho*. Huius porro demonſtrationis vis ne ab aliquo minuatur, pergit Origenes: *εἰκός τινα θλιβόμενον ἀπό τῆς εἰς ταῦτα ἐπιδείξεως, συγχρήσασθαι τῷ βουλήματι τῶν ἀθετούντων τὴν ἐπιστολὴν, ὡς οὐ Παύλου γεγραμμένην· πρὸς ὃν ἄλλων λόγων κατ' ἰδίαν χρήζομεν εἰς ἀπόδειξιν εἶναι τοῦ Παύλου τὴν ἐπιστολήν. παραθήσομαι οὖν ἐπὶ τοῦ παρόντος ἀπὸ τοῦ εὐαγγελίου, κ. λ.* ideſt: *veriſimile eſt, aliquem ab hac demonſtratione preſſum, uſurum eſſe* [ut ſcite admodum hoc vertiſſe mihi videtur D. de la Rue] *conſilio eorum, qui hanc Epiſtolam reiiciunt ceu a Paulo non ſcriptam: adverſus quem aliis ſeorſim rationibus indigemus, ut Epiſtolam illam Pauli eſſe demonſtremus. Adducam igitur in praeſens ex Evangelio* &c. Perſpicuum plane ex his eſſe arbitror, iudicaſſe Origenem demonſtrari poſſe, Pauli eſſe Epiſtolam ad Hebraeos; licet id ipſe ibi non fecerit; ne in longiores alias quaeſtiones abiret, cum rem propoſitam multo brevius conficere poſſet. Niſi enim demonſtrari id poſſe vidiſſet Origenes, neque eo argumento, neque ea dicendi ratione uſus fuiſſet.

Hiſce igitur praeſumptis videtur negari non poſſe texturam Epiſtolae ad Hebraeos a Paulo eſſe confectam; at externam faciem ab elegantiori manu perpolitam fuiſſe. Verum non equidem video, cur acris ingenii homo, natus altuſque Tarſi, ubi omnium diſciplinarum ſtudia non minus quam Athenis floruerunt (Strabo l. 14.), elaboratius aliquid promere non potuerit: praeſertim cum hac etiam in Epiſtola proprius Pauli genius in omnium oculos incurrat; *Paulus enim hyperbatis frequenter utitur propter velocitatem ſermonum ſuorum, & propter impetum, qui in ipſo eſt, ſpiritus*; ut obſervavit Irenaeus (l. 3. c. 7.) eſt *πάντων ἐν παρασκευῇ τῶν λόγων δυνατώτατος, νοήμασί τε ἱκανώτατος, verborum apparatu, & ſententiarum pondere omnium Apoſtolorum praeſtan-*

ſtan-

ſtantiſſimus, ut adnotavit Euſebius (H. E. l. 3. c. 24.) ſive, ut animadvertit Epiphanius (Haer. 64. n. 29.) eſt ὥσπερ ἀκοντιστὴς δεινὸς διεστραμμένα ῥήματα τῶν λόγων εἰς μέσον ἐμβαλὼν, ἀσαφῆ μὲν καὶ ἐπικεκαλυμμένην εἰς βάθος τῶν ἀναγνωσμάτων τὴν ἐξεργασίαν, ἀληθεστάτην δὲ, καὶ ὀρθόδοξον, καὶ μηδὲν ἔχουσαν ἀπημελημένον, ἢ δύσφημον· τοῖς μὲν γὰρ μὴ μετὰ σπουδῆς, ἀλλ' ἀγεννῶς ἐκπύπτουσι τοῖς λόγοις, ἀσυνάρτητα ἐσθ' ὅτι δοκεῖ, καὶ ἀσύμφωνα λέγειν, τοῖς δ' ἂν σπουδαίως, καὶ λογισμῷ νήφοντι, ὁπόσης τάξεως ἔμπλεα καὶ ἀληθείας i. e. *velut peritiſſimus quidam iaculator contortas verborum ſententias in medium emittens, ut obſcuram profundiſſimiſque ſenſibus occultatam orationem inſtituit; ſic veriſſimam, rectaeque fidei conſentaneam, quae nihil, aut negligentius dictum, aut abſurdum continet. Qui enim non ſtudiose, ſed oſcitanter in illius ſermones occurrunt, iis non numquam minus ſibi conſentanea, & cobaerentia dicere videtur: qui vero operam adhibent, & ſobria, atque experrecta mente in illos incumbunt, ex ordine omnia ac rei veritate, pronuntiata iudicant*. Quare cum haec omnia in oculos legentium Epiſtolam ad Hebraeos occurrant; certum videri debet ne ipſam quidem externam verborum faciem a Pauli indole abeſſe poſſe.

At ſi quis paullo faſtidioſior Criticus, aliuſve Graeci alicuius Scriptoris ſuſpicionibus confiſus, oculorum aciem in hanc Epiſtolam nunc iterum figens, alterius adhuc ibi videat dicendi venuſtatem, quam quae Pauli eſſe poſſit; tunc profecto non abnuam dicere, Paulum ſuas Epiſtolas dictare conſueviſſe; adeoque hic fortaſſe peritioris Amanuenſis diligentia fieri potuiſſe, ut cultiori dicendi ratione Pauli oratio literis mandaretur. Sic enim (1. Cor. 16. 21., Coloſs. 4. 18, 2. Theſſ. 3. 17.) una *ſalutatio manu Pauli* ſcripta eſt. Contra vero Philemoni inquit v. 19. *Ego Paulus ſcripſi mea manu*. Epiſtola vero ad Romanos ſcripta eſt a *Tertio*, qui (cap. 16. 22.) Pauli verbis addidit: *Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam in Domino*. Atque hic *Tertius*, quod eſſe poſſit eadem nominis ſignificatio, a Ligtfooto, (Chorograph. p. 123.) cenſetur *Silas* ille, qui Act. 15. 23. ſcripſiſſe videtur Epiſtolam Synodicam Concilii Apoſtolici Ieroſolymitani

ni ad Antiochenos, quique a Paulo (ibid. v. 40.) comes electus est. Rursumque hic *Silas*, diversa eiusdem nominis modificatione censetur *Silvanus* ille, comes Pauli, de quo ipse mentionem facit ad Corinthios scribens (2. I. 19.) & initio utriusque Epistolae ad Thessalonicenses; quique scripsisse videtur Priorem Petri Epistolam (1. Petr. 5. 12.): ita ut Silas iste ab aliquiquibus diceretur *Silvanus*: quemadmodum *Lucas*, dictus est *Lucanus*, apud Mabillonium (It. Ital. p. 111.) in duobus Evangeliorum Codicibus Bobiensi uno, Neapolitano Carbonariensi altero; & apud Millium (in 1. Thessal. 1. 1.) in vetustissimo Evangeliorum Codice Cottoniano.

Verum quidem est, Hieronymum tum in explicatione nominum Hebraicorum, tum *Ep. 143. ad Damasum*, *Silam* interpretari *Apostolum*, seu *missum*, & eiusdem sententia *vitiose Silvanum legi pro Sila; cum Silvanum in Apostolorum Actis non legamus*. At revera *Silas* longius distat a radice שלח *Misit*, quam a radice שלש *Tret.*, ut periti norunt. Sed quid inde? num Ligtfooti coniectura praeferenda? Si Epistola ad Romanos Latine scripta fuisset; haec utique coniectura pluribus placere posset. Sed Paulum Romanis Latine scripsisse; haec porro sententia, suo cum Auctore interiit. Itaque cum Graece Τέρτιος, non sit Syriacum *Silas*, vel Latinum *Tertius*; quemadmodum Graece Πέτρος, vel Πέτρα Syriacis est *Cephas*, & Latinis *Petra*; plerisque propterea minus vero similis videbitur Ligtfooti coniectura. Nam, etsi dicere possim, *Silam* cum Paulo Romam prius venisse, quippe quem Romani nossent, eumque a Romanis vocari potuisse *Tertium* iuxta vim sui nominis; adeoque ipsum, se Graece etiam scripsisse Τέρτιον, ut a Romanis agnosceretur quis esset, qui eos salutabat: vereor tamen ne omnes lubenter amplexuri sint coniecturas coniecturis superstructas; iique praesertim, qui ab Erasmo in editione prima N. T. & ab Aldo iuxta Theoduli Commentarium observarint editum *Terentium* pro *Tertio*. Sed haec obiter dicta sint. Etenim meam ad rem sufficit demonstrasse, Apostolos Amanuensibus uti consuevisse; eosque non fuisse servum pecus: sed Comites, & Comministros, quibus in-

inesse posset libertas cultioris aliquando dicendi rationis adhibendae, quemadmodum & voculae addendae, quin aliquid sententiae deperiret.

Quod vero Epistolae ad Hebraeos praescriptum non sit PAVLVS APOSTOLVS, ut in reliquis exigui sane momenti ratio est. Nam ut scite, lepideque aiebat Primasius: *Si propterea Pauli non erit, quia eius non habet nomen, nec alicuius est, quia nullius nomine titulatur. Quod si absurdum est; ipsius magis credenda est, quae tanto doctrinae* SVAE *fulget eloquio* (Praef. in Ep. Pauli.) Verumtamen quia in hominum genere maxima pars nullius momenti rationibus commovetur: ita Christianos inter plurimi esse debuerunt, apud quos ea ratio valeret; cum a Patribus plures excogitatae sint rationes sufficientes, ex quibus intelligeretur, cur Paulus exorsus non sit hanc Epistolam reliquarum more. Si quam tamen adhuc addere rationem sufficientem operae pretium esset, dicerem & ego, Epistolam ad Hebraeos plane diversae rationis esse, ac sint reliquae Pauli Epistolae. Hae siquidem ab eo scriptae sunt, ut doceret ea, quae sibi a Christo revelata fuerant; quaeque Ecclesiae regimen respiciebant. At vero Epistola ad Hebraeos Dissertatio potius est de Christi Divinitate, deque ceteris eius muneribus ex Veteri Testamento deducta ad confirmandos fideles ex circumcisione, quibus aliqua dubitatio de suscepta fide suborta esset; eosque deterrendos, qui eamdem iam deseruissent. Zelo itaque, ac fervore fidei incensus Paulus, neglectis reliquis omnibus statim incipit ab Incarnatione, & Divinitate Iesu Christi; non secus ac Ioannes Evangelista suum Evangelii Librum exorsus fuerit.

Quamquam si ipsum Pauli exemplar, ad Hebraeos transmissum adhuc extaret, censerem equidem nos oculis nostris visuros certam notam, ex qua dignosceremus scripturam hanc Pauli esse. Quandoquidem, ut antea dicebamus, *salutatio manu Pauli* scripta erat in eius Epistolis: videremus autem notam hanc ne huic Scripturae quidem defuisse. Etenim inquit Paulus (2. Thess. 3. 17.) *Salutatio mea manu Pauli; quod est signum in omni Epistola, ita scribo:*

Gra-

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Nota ergo, quae Pauli scripturam demonstrabat, erat clausula ista *Gratia D. N. I. Ch. cum omnibus vobis. Amen*, Pauli manu scripta: At haec verba non absunt ab Epistola ad Hebraeos, ut neque a reliquis: igitur in hac etiam Epistola, si illud exemplum videre possemus, eamdem clausulam Pauli manu scriptam videremus.

Profecto quisquis attentius rem istam consideraverit; fatebitur, arbitror, huic argumento maximum pondus inesse: immo eo uno fortasse rem confici posse. Dicere quis quidem poterit, eadem formula concludi & Priorem Petri Epistolam. At unus Vulgatus Interpres ibi habet *Gratia*, cum omnes Graeci Codices observante Millio habeant, εἰρήνη, *Pax*. Quamquam cum ea Petri formula Pauli formulae dignoscatur affinis: quin cum & aliae quaedam ibidem adhibitae sint iuxta Pauli morem; idcirco observo eam Petri Epistolam scriptam fuisse per Silvanum, de quo antea diximus: Quare earum formularum usum ipsi tribuerem Silvano, qui Petro consentiente eas addiderit; cum Petrus in altera Epistola easdem omiserit.

Atque haec de his sufficiant. Utique Anonymus quidam apud Oecumenium testatur, aliquibus visum fuisse hanc Epistolam non esse Pauli, etiam quia (cap. 2. v. 3.) de Evangelica Doctrina dicat: *ab iis, qui audierunt, in nos confirmata est.* Sed ne umbram quidem hic ego videre possum: persuasum est enim mihi, illud IN NOS scriptum non fuisse a Paulo de seipso, sed de omnibus iis, qui ad Christum venerant, cum addat v. 4. *Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus*, & *Spiritus Sancti distributionibus*.

II. Sermonem initio statim instituens Paulus de Filio Dei, in quo Deus tandem nobis locutus est, de eo inquit (v. 3.) ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ ὑποςάσεως αὐτοῦ, κ. λ. i. e. ut vertit Vulgatus Interpres: *Qui cum sit splendor gloriae, & figura substantiae eius* &c. Luculentissimus sane locus ad fugandas omnino errorum tenebras, quas prisci novique Haeretici offundere conati sunt sive *Consubstantialitati* Divini Verbi cum Patre; sive eius *Incarnationi*. Verumtamen

A-

Ariani, & Sociniani, qui ab hac Scriptura admodum torquentur, eius vim enervare conantur, & de vera *Hypostaseos* notione litem indicentes, nituntur dubia obtrudere, ut quod certum est suas vires non exerat. De *Hypostasei* ergo quaedam attingenda; tumque ad id, quod certum esse debet, deveniendum. De ea pluribus egit Petavius (de Trin. lib. IV.) rectissimeque observavit Concilium Nicaenum I. in expositione Fidei voce *Hypostaseos* usum esse pro *usia*, *substantia*, vel *essentia*, dum inquit: τοὺς δὲ λέγοντας ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ, καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία i. e. *eos autem qui dicunt, erat aliquando quando non erat; &, antequam nasceretur, non erat; &, quia ex nullis substantibus factus est, aut ex alia substantia, & essentia, hos anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia.*

Magnus quidem Basilius (Ep. 78. & alibi) scripsit, Concilium Nicaenum vocibus *Hypostaseos*, & *usias* rem eamdem non intellexisse, hanc afferens rationem: εἰ γὰρ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἐδήλουν ἔννοιαν αἱ φωναὶ, τίς χρεία ἦν ἑκατέρῳ; i. e. *Si enim unam, & eamdem notionem manifestant voces, quis usus erat utriusque?*

Verum sapientissimo eo consilio Nicaeni Patres *Hypostasin*, & *Usian* eodem sensu posuerunt; sicut & praecedentibus formulis usi sunt, ut damnarent ea omnia, quae Arius cum suis scripserat Alexandro Alexandrino Episcopo. [Extat ea Epistola apud Athanasium de Synodis Maur. Edit. T. I. P. 2. p. 730. apud Epiphanium Haer. 69. n. 7. apud Hilarium lib. 4. & 6. de Trin., atque alibi ut Maurini adnotant.] Ibi ergo inquiunt Ariani: οἴδαμεν ἕνα Θεὸν, μόνον ἀγέννητον ..... γεννήσαντα Υἱὸν μονογενῆ πρὸ χρόνων αἰωνίων ...... γεννήσαντα δὲ, οὐ δοκήσει, ἀλλὰ ἀληθείᾳ· ὑποστήσαντα ἰδίῳ θελήματι ἄτρεπτον καὶ ἀναλλοίωτον κτίσμα τοῦ Θεοῦ τέλειον, ἀλλ' οὐχ ὡς ἓν κτισμάτων· γέννημα, ἀλλ' οὐχ ὡς ἓν τῶν γεγεννημένων ..... οὐδὲ τὸν ὄντα πρότερον, ὕστερον γεννηθέντα, ἢ ἐπικτισθέντα εἰς υἱὸν .... ἀλλ', ὥς φαμὲν, θελήματι τοῦ Θεοῦ πρὸ χρόνων, καὶ πρὸ αἰώνων κτισθέντα, καὶ τὸ ζῆν, καὶ τὸ εἶναι παρὰ τοῦ Πατρὸς εἰληφότα, καὶ τὰς δό-

ξας

ξας συνυποςήσαντος Αὐτῷ τοῦ Πατρὸς· οὐ γὰρ ὁ Πατὴρ δοὺς Αὐτῷ πάντων τὴν κληρονομίαν ἐςέρησεν ἑαυτὸν, ὧν ἀγεννήτως ἔχει ἐν ἑαυτῷ· πηγὴ γάρ ἐςι πάντων· ὥς τε τρεῖς εἰσιν ὑποστάσεις. (Sic Athanasius, addente Epiphanio, Πατὴρ, Υἱὸς, καὶ Ἅγιον Πνεῦμα.) i. e. vertentibus Maurinis. *Agnoscimus unum Deum solum ingenitum ... qui Filium unigenitum ante tempora aeterna genuit .... genuit autem non sola specie tenus, sed revera propria voluntate subsistere fecit, eumque immutabilem, inalterabilem, creaturam Dei perfectam, sed non ut aliquam ex creaturis: genitum, sed non ut aliquod ex genitis .... neque vero eiusmodi est, ut is qui prius fuerat, postea genitus sit, aut in Filium conditus ..... sed, ut dicimus, voluntate Dei ante tempora, & ante secula creatum, qui ut viveret, & esset, a Patre accepit, adeo ut ei Pater suam gloriam in creatione contulerit: neque enim Pater cum omnium possessionem Ipsi tradidit, iis seipsum privavit, quae ingenito modo in se continet; fons enim est omnium: Quapropter tres sunt substantiae* (atque addentibus Epiphanio, & Hilario *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.*) In hoc porro Ariano textu non solum ΤΟ' ΕΙ'ΝΑΙ habemus; sed etiam 'ΥΠΟΣΤΗ'ΣΑΝΤΑ, de *substantia*, utique ab Arianis dictum; quippe qui certe numquam senserint Filium a Patre *Persona* tantummodo distinctum; *substantia* autem unum, & idem: cum immo hoc expresse ibi etiam negarint dicentes: οὐδὲ ἅμα τῷ Πατρὶ τὸ εἶναι ἔχει, *nec habet simul esse cum Patre*. Quamobrem Nicaena Fidei expositio & *hypostasin*, & *usian* pro eodem posuit, ut utraque Ariana dicendi ratione eorum errorem proscriberet: quemadmodum, & praecedentibus dicendi rationibus a reliquis Arianorum formulis haereseos labem absterfit, quae in eadem leguntur Epistola, aliisve Arianorum scriptis.

Afferre possem hanc in rem & verba: ὥς τε τρεῖς εἰσιν ὑποστάσεις, sed nisi prius quaedam observem, satis dilucida oratio esse non potest. Nimirum, ut dixi, Hilarius haec vertit: *Quamobrem tres sunt substantiae, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus;* quia scilicet ipse, non secus atque Epiphanius incidit in exemplar Epistolae Arii, in quo postrema haec

verba reperiebantur. At censerem equidem verba illa: *Pater*, *Filius*, *& Spiritus Sanctus* ab Ariano Autographo abfuisse; tum quia apud Athanasium, ea non reperiuntur; tum vero etiam quia nulla alia *Spiritus Sancti* mentio fiat, aut eadem in Epistola, aut in Litteris eiusdem Arii ad Eusebium Nicomediensem, quas (ibidem num. V.) edidit Epiphanius; aut in Epistola Alexandri Episcopi Alexandrini ad Episcopos Catholicos, qua illos monet de erroribus Arianorum (Opp. Athanas. T. I. P. I. pag. 397.)

Si igitur verba illa, quae Epiphanius, & Hilarius prae Athanasio habent, sint cuiuspiam notula marginalis, quae postea in textum admissa fuerit; tum ego verba ista, ὥς τε τρεῖς εἰσιν ὑποστάσεις, vertenda censerem secundum hanc vim: *quasi tres sint substantiae*. Clarissimi ipsi Editores de versione sua hic nonnihil dubitasse mihi videntur, dum eidem in margine adscribunt; *sic Hilarius*: cumque non investigassent, quaenam esse possent *tria illa*, quae per Arianos *tres non sunt substantiae*, Hilarii versione usi sunt, qui rectissime vertit iuxta suum exemplar. Ast ego autumo verba ista: *quasi tres sint substantiae* ab Ario referri ad praecedentia, scilicet ad *Patrem*, *& Filium*, καὶ τὰς δόξας, ἃς συνυπέστησεν Αὐτῷ ὁ Πατὴρ, *& glorias quas* [ut aliqua ratione vim textus innuam, quod non facit superius allata versio, & aegre fieri potest] *consubstare fecit Ipsi Pater*: Vel, siquem iubeat magis, fortasse referri poterunt ad *Patrem*, *& Filium*, *& ad eum qui prius fuisse dici possit*, *ac postea sit genitus*, *aut superconditus in Filium*.

Hisce ita declaratis dicam nunc & τρεῖς ὑποστάσεις, *tres hypostaseis Arii*, *substantias esse*. Etenim vel Arii textus est quem protulit Epiphanius; vel quem Athanasius: sed uterlibet fuerit Arii textus, τρεῖς ὑποστάσεις, *tres hypostaseis* trium substantiarum notionem habent; igitur & in Nicaena Fidei expositione vox *hypostaseos* substantiae notionem habet; quemadmodum apud Arianos, contra quos est ea *Fidei expositio*. Etenim si Arii textus, est quem protulit Epiphanius; ibi Arius inquit, *Patrem*, *Filium*, *& Spiritum Sanctum tres esse substantias*, cum *consubstantialitatem*

pla-

plane repudiaret, ut notum est. At si Arianorum textus est quem nobis servavit Athanasius, Arius adhuc *tres hypostaseis*, dicens, *tres substantias* intelligit; quippe qui ibi doceat, *Patrem fecisse, ut gloria, quam Filio dedit, eidem consubsisteret; cum dans Filio omnium haereditatem* [in quo sitam facit eam gloriam] *seipsum non privaverit.* Neque ergo admittit communionem eiusdem gloriae Patrem inter & Filium; neque Filio datam gloriam veluti rem aliam ab ipso Filio asserit. Tandem si Arius *tres hypostaseis* dixisset de *Patre*, & *Filio*, deque ea re, quam fuisse Filium, ante quam conderetur, videretur quis sibi fingere posse, perspicuum est vel tum *hypostasin essentiae* notionem per Arium subiectam habere.

Brevissime etiam attingam Arium & in subsequentibus de Filio addidisse: μόνος ὑπὸ μόνου τοῦ Πατρὸς ὑπέστη: *Solus a solo Patre productus est:* ut dilucidissime appareat ὑφιστάναι ab Arianis de *essentia* dictum: adeoque Nicaenos Patres *hypostasei usian*, vel *substantiam* intellexisse.

At quamvis hac de re dubitandum amplius non sit: fatendum tamen est postea a subsequentibus Conciliis *hypostasin* non iam pro *essentia*, *abstracte* ut inquiunt, intellecta, *sed in concreto* usurpatam fuisse, quatenus nempe essentia est Pater qui generat; Filius qui gignitur; & Spiritus Sanctus qui spiratus est. Excipienda tamen Concilia Sardicense, & Romanum sub Damaso, quae Nicaenam notionem secuta sunt. Similiter, & ex Patribus, sive ii sint Ante-Nicaeni, sive Post Nicaeni, *hypostasin* alii quidem adhibuerunt pro *essentia in abstracto*, *in concreto* alii, quemadmodum ex iis, quae fuse attulit Petavius, & ex innumeris aliis, quae afferri possent, uberrime demonstratur.

Quamobrem nil mirum si Ecclesiasticos inter Scriptores alii *unam Dei hypostasin* dixerint; alii vero *tres in Deo hypostaseis asseruerint*. Immo accidit, ut idem Auctor modo unam dixerit *hypostasin*, modo *Tres*; hoc est nunc usurparit *hypostasin*, pro *essentia in abstracto*; nunc *in concreto*. Atque istud quidem cum de Gregorio Nazianzeno constat ex Petavio; tum de Divo Athanasio praesertim, a Mau-

rinis observatum est in Praefatione ad eius Opera (*de Doctrina Athanasii num. V. pag. xviii.*), ex quo colligitur, Petavium in omnia Athanasii loca de *hypostasei* non incidisse, dum statuit (de Trin. lib. IV. c. I. n. 7.) eumdem tantummodo pro *essentia*, *hypostaseos* vocem adhibuisse; neque in mentem revocavit, Athanasii praesertim opera Antiochenum schisma compositum fuisse, & constitutum in Alexandrina Synodo, ut Antiochenorum unusquisque vel *unam* diceret *hypostasin*, vel *Tres*; dummodo quis alterutrum Catholice & sentiret, & diceret; cum revera alterutrum suo sensu dici possit, quin ulla in Ecclesiae Doctrinam contradictio aut repugnantia invehatur.

Hisce brevissime indicatis ad rem nostram veniamus, eam arctissime concludendo. Dicimus ergo propositum Pauli locum omnino esse de Christi Divinitate, & Consubstantialitate cum Patre; sive *hypostaseos* nomine intelligatur *substantia*, sive *Persona subsistens*. Si enim *hypostasin* sumamus pro *essentia*; quia Dei Filius est χαρακτὴρ ὑποστάσεως τοῦ ΘΕΟΥ͂, *Figura substantiae* DEI *Patris*, propterea est etiam *alia Persona*, quae habet ipsam eamdemque Patris *Essentiam*. Hic enim *Character* fingi non potest stupida *Figura*, cum sit Filius; sed oportet eum agnoscere Personam subsistentem; *Filius* enim esse non potest, nisi Persona subsistens. Sed *Character* iste, sive hic *Filius* est *Character substantiae* DEI *Patris*: igitur *substantia* Filii Dei est ipsa Patris substantia.

Quod si *hypostaseos* nomine intelligatur *Persona subsistens*, adhuc Paulus eamdem rem monstrat. Siquidem *Persona generans* distingui non potest a *Natura*, & *Essentia* Patris; cum Persona Patris aliud esse non possit, quam Natura Divina, quatenus connotat Patrem generantem: Igitur Divinae Essentiae, quatenus connotat Patrem generantem, *Character* est Filius Dei. Sed esse *Characterem* Divinae Essentiae, quatenus est Pater generans, est esse Filium Dei in una eademque Patris Essentia. Semper ergo *duae Personae*, *una Essentia*.

Errant itaque Ariani, & Sociniani admodum, dum ra-

rationem Patris in Deo veluti rem *ad extra* considerant. Animadvertant ergo vocem *hypostaseos* ad extrinsecam huiusmodi relationem innuendam adhiberi non posse: ac tandem fateantur solo instinctu Divinitatis factum esse, ut Paulus ea dicendi ratione uteretur, ex qua semper innotescit & Filii Divinitas, & eius cum Patre Consubstantialitas.

Ex his porro, ne & istud praeteream, perspicue intelligitur, quam aut impudenter, aut inscite Heterodoxi Critici carpere audeant Vulgatum Interpretem, quod *hypostasin*, *substantiam* verterit, multisque erroribus ianuam aperuerit. Miror ego potius, cur Latini Patres, non secus atque Graeci *substantiae* vocabulum non retinuerint, tum ad significandam *essentiam in abstracto*; tum *in concreto*, quatenus nempe est Pater generans; Filius qui gignitur; & Spiritus Sanctus qui spiratus est, cum Vulgatus Interpres *hypostasin*, prorsus aequivalenti *substantiae* vocabulo verterit. Si enim & Latinorum Patrum alius dixisset *unam essentiam*, & *tres substantias*: alius vero *unam substantiam*, & *tres Personas*; ita sane, & vocabula, & notiones Latinorum Patrum Graecis responderent, & minora essent dictionum discrimina: tumque pro *consubstantiali*, *coessentialem* Filium Patri diceremus. Clarissimus quidem Bertius (lib. IX. c. 6.) supponit Latinis usuvenisse, ut *subsistentiae* vocabulum in utraque *hypostaseos* significatione usurparent; atque hanc in rem affert Agathonem Romanum Pontificem, quasi (Act. 4. Synod. VI.) diserte definierit: *trium Subsistentiarum unam Subsistentiam*. At re vera (T. m. 7. Concil. p. 710.) Graece legimus: *τριῶν ὑποστάσεων μίαν οὐσίαν*, Latine autem: *trium subsistentiarum unam substantiam*. Et (ibid. col. 1189.) ex Codice Collegii Parisiensis S. I. quem edidit Harduinus (Tom. 3.) legitur: *trium Hypostaseon*, *unam Essentiam*. Quamobrem unde ea verba Vir. Cl. sumpserit incompertum est mihi. Contra vero Drusius (inter Crit. Sacr.) scribit Tertullianum de Deo *tres substantias* dixisse. Sed neque hoc apud Tertullianum vidi, vel ab aliis allatum; nisi a Clerico inepta illatione deductum (Hist. Eccl. an. 186.). Non video tamen, cur priscis temporibus

sub-

ſubſtantiae notione uſu nondum definita Tertullianus id, Catholice ſentiendo, innuere non potuerit; licet alibi unam Dei ſubſtantiam agnoſcat. Siquidem, & Auguſtini aevo a loquendi conſuetudine, nondum plane definitum fuiſse videtur, ut *ſubſtantia*, *eſſentiam* tantummodo ſignificaret. Etſi enim (lib. 5. de Tr. c. 9.) inquit: *quia noſtra loquendi conſuetudo iam obtinuit, ut hoc intelligatur, cum dicimus* Eſsentiam, *quod intelligitur, cum dicimus* Subſtantiam; *non audemus dicere*: unam eſsentiam, tres Subſtantias: Poſtea tamen (lib. 7. c. 5.) ait: *Fortaſſis igitur commodius dicuntur tres Perſonae, quam tres ſubſtantiae*. Quamobrem laudandus magis eſt, quam culpandus Vulgatus Interpres, ſi ad vertendam *hypoſtaſin*, *Subſtantiae* vocabulum procudit; neque eidem vitio vertendum, ut facere audet Iacobus Capellius, ſiqui vetuſtiorum Patrum *ſubſtantiae* vocabulum uſurparunt diverſa ratione, ac poſtea uſu receptum ſit: aut ſi ſero demum *Subſtantiae* nomen ad eſsentiae notionem determinatum fuerit.

III. Caput hoc primum concludit Apoſtolus de Angelis inquiens: *οὐχὶ πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα, εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν*; *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos, qui haereditatem capiunt ſalutis?* ut habet Vulgata Verſio. Huius porro Scripturae vi cogimur ad eorum ſententiam adhaereſcere, qui cenſent ex quovis Coeleſtium Spirituum Ordine Angelos a Deo mitti in miniſterium. Siquidem Apoſtolus hoc in Capite demonſtrandam ſuſcepit Chriſti Divinitatem ex eiuſdem excellentia prae Angelis. Cum itaque oſtendiſſet Chriſto Filii honores, & iura deberi; de Angelis contra inquit, eos *omnes adminiſtratorios ſpiritus* eſſe. At ſiqui Coeleſtium Spirituum Ordines non mitterentur in miniſterium Pauli argumentum vim nullam haberet, ut quiſque novit: Ex quovis igitur Ordine aliqui mitti in Miniſterium dicendi ſint. Atque haec de his attigiſſe ſufficiat, de quibus tam multi iamdiu pertractarunt.

IV. Pergit vero Apoſtolus (cap. 3.) & ex diſcrimine Angelorum a Filio Dei infert multo magis ſtabilia fore, quae a Chriſto dicta ſunt, quam quae ſub Veteri Foedere per

An-

Angelos dicta fuerint, inquiens: *διὰ τοῦτο δεῖ περισσοτέρως ἡμᾶς προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσι μή ποτε παραῤῥυῶμεν. Εἰ γὰρ ὁ δι' Ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος ἐγένετο βέβαιος, καὶ πᾶσα παράβασις καὶ παρακοὴ ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν· Πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα τηλικαύτης ἀμελήσαντες σωτηρίας; ἥ τις ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι διὰ τοῦ Κυρίου, ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη*, i. e. iuxta Vulgatum Interpretem: *Propterea abundantius oportet observare nos ea, quae audivimus; ne forte pereffluamus. Si enim, qui per Angelos dictus est, sermo factus est firmus, & omnis praevaricatio, & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quae, cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est.* Ex hoc itaque Apostoli ratiocinio illud recta deducitur, sub Veteri Foedere reipsa per meros Angelos ea peracta fuisse, quae in Sacris Bibliis per eosdem gesta leguntur; licet quaedam voces, aut circumstantiae Divinam Personam innuere quibusdam visae sint.

Illationem hanc ut declinet Altingius (Commen. in Ep. ad Hebr.) scribit *Angelorum* nomine hoc in loco designari *Prophetas*, a Paulo (supra c. 1. v. 1.) commemoratos; cum iidem pluries in sacris eloquiis eo nomine denotentur: ac propterea omnia quae dicuntur capite primo post versiculum primum ad *Parenthesin* pertinere.

At quam multa ad *Parenthesin* referenda! Deinde nonne initium capitis secundi est consequentia ex praecedentibus? Ex praecedentibus quidem, dicet iterum Altingius: sed ex initio Capitis, non ex reliquis. Verum inquimus nos: quomodo *Deus novissime diebus istis loquutus est nobis in Filio*, si & *olim Patribus* in Filio pariter loquutus fuerat? Fatendum itaque ex hoc Pauli textu cognosci, Dei Filium sensibili specie indutum ante Incarnationem *Patribus* nunquam apparuisse.

Quod, quamquam generatim ex his, quae diximus, demonstratur: peculiariter tamen de tribus iis Angelis, qui Abrahae apparuerunt ad quercum Mambre (Gen. 18.); deque duobus Angelis a Lot hospitio receptis (Gen. 19.) pecu-

lia-

liariter inquam confirmatur ex eadem hac Epiſtola (cap. 13.) Paulus enim hoſpitalitatem ibi commendaturus inquit: τῆς φιλοξενίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε, διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες Ἀγγέλους, i. e. ex Verſione quae Vulgata nunc dicitur: *hoſpitalitatem nolite oblivisci; per hanc enim latuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis*. Hic certe Apoſtolus reſpicit citata Geneſeos loca. Ad hoſpitalitatis igitur commendationem Paulus utitur argumento ex Angelorum hoſpitio. Si ergo Abraham, aut Lot ipſum Dei Filium hoſpitio recepiſſent; multo magis hinc hoſpitalitatem commendaſſet.

Inquiet hic fortaſſe aliquis, cum in Vulgata Verſione legatur: *per hanc enim quidam latuerunt Angelis hoſpitio receptis*; ideo haec referri quidem poſſe ad Lot, ſed non ad Abraham: ad hunc igitur ipſe Dei Filius virili ſpecie, cum duobus Angelis venit.

Advertat porro, ſi cui haec in mentem veniant, Biblia Sixtina, & Verſiones quaſdam Bibliorum, quae ea praecedunt, hic legere: *per hanc enim quidam placuerunt*; hoc eſt magis expoſuiſſe locum, quam vertiſſe; & ad Abraham quoque reſpexiſſe. Cum itaque Biblia Clementina, nunc Vulgata pro *placuerunt* repoſuere *latuerunt*, ad litteram Graeci textus adhaereſcere voluerunt. In Bibliis ergo Clementinis hic locus, unus eſt ex innumeris, quae abſque Textus notitia plane comprehendi non poſſunt: quamobrem Graecum ad Textum exigendus eſt. At elegantiſſima Graeca phraſis ἔλαθόν τινες ξενίσαντες Ἀγγέλους, quae habetur in Textu, hanc vim habet: *quidam neſcientes Angelos hoſpitio receperunt*: quibus verbis & veterem Latinam Verſionem hunc locum reddidiſſe noſcimus ex Auguſtino, qui totidem verbis eumdem pluries affert (L. 2. Trin. c. 2. cont. Maximin. L. 3. c. 26., Civ. D. L. 16. c. 29. & quaeſt. 33. 34. & 41. in Geneſim.) Paulus ergo tum ex Abraham, tum ex Lot, qui Angelos hoſpitio receperunt, hoſpitalitatem commendat.

Iam vero, & de Angelo, qui Moſi apparuit, aut in monte Horeb (Exod. 3.), aut in monte Sina (ibid. 19. ſeq.) peculiariter demonſtrari poteſt eum non fuiſſe Dei Filium, Divinamve Perſonam. Stephanus enim Protomartyr (Act. 7.)

per-

perstringens, quae a Deo gesta erant sub Veteri Foedere de Mose ait. *Angelum Domini* ab eo visum fuisse in deserto in Monte Sina in flamma ignis rubi; ipsumque Mosem missum fuisse Principem, & Redemptorem *in manu Angeli, qui visus est illi in rubo;* eumdemque fuisse *in concione in deserto cum Angelo loquente ei in Monte Sina*. Merus igitur Angelus Mosi apparuit.

Scio equidem plures, & Patrum, & Interpretum hic *Angeli* nomine intelligere *Angelum Foederis* (Malach. 3. 1.) ipsum scilicet Dei Filium. Quin Grotius (Adnot.Nov.Test.T.2.) illud Stephani eiusdem (Act. 7. 53.) ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς Ἀγγέλων, quod Vulgatus Interpres vertit: *accepistis legem in dispositione Angelorum*, reddendum putat: *accepistis legem inter turmas Angelorum*: ita ut Deus ipse turmis Angelorum stipatus populo legem tulerit: Observat enim (Deut. 33. 2.) Deum venisse *e myriadibus sanctitatis* iuxta Hebraicum textum; eoque in sensu διαταγὴν adhiberi a LXX Interpretibus (Iud. 3. 23.), & ab Auctore, qui literis consignavit Machabaeorum Libros (lib. 1. c. 6. v. 35.). Atque hanc interpretationem Buddeus quoque sequutus est (Hist. Eccl. Vet. Test. T. 1.); Stephanusque le Moyne (Not. ad Var. Sacr.) cum locum & ipse reddidit: *inter ordines, & castra Angelorum*.

Sed ut verum fatear, quod Christus a Malachia dictus fuerit *Angelus Foederis*, non video sane, cur & Actuum VII. Angeli nomine intelligere debeam *Increatum Angelum* non creatum. Quod siqui recentiorum contendunt εἰς διαταγὰς verti posse *inter turmas*, quod particula εἰς aliquando reddi possit *inter*: sit istud quidem; & εἰς iam amplius non sit *in* vel *ad*, sed *inter*. Verum nihil adhuc conficiunt. Diserte enim, & Paulus (Galat. 3. 19.) de lege Mosi data inquit: διαταγεὶς δι' Ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου, *ordinata per Angelos in manu mediatoris*, quod declarat creatos tantum Angelos Dei administros fuisse in Legis promulgatione; Deique Filium tunc per se loquutum non fuisse Mosi; & Stephanum Angeli nomine creatum Dei administrum innuere.

At aliam init viam Iacobus Ode (Comment. de Ang. sect. 10.) & ex denominatione *Angeli Iehovah*; ex eius promissione multiplicandi seminis Hagar (Gen. 16. 10.): ex praescientia

futuri : ex cordium ſcrutatione (Ibid. 18. 13.): ex iudicio ſcelestorum hominum, ſcelerumque vindicta (Ibid. 18. & 19.) : tum vero ex quo ille *Angelus Iehovah* de ſe ipſo dicat (Exod. 3. 14.) *Ego ſum qui ſum* ; ex petitione Moſis (Gen. 33. 13.) videndi faciem Dei, & ex ſimilibus aliis rationibus, perſuadere nititur, ſaepe ipſum Dei Filium apparuiſſe ſub Veteri Foedere.

Verum facile equidem intelligo, Angelum Divina legatione fungentem ea omnia peragere debere, tamquam Deus ipſe foret, ad quae gerenda miſſus eſt in miniſterium. Et quamvis omnes hae circumſtantiae aliquid conficere videri poſſint ; apud me tamen vim prorſus amittunt, ſi cum corollario ex Pauli ratiocinatione comparentur.

V. Capite II. 10. inquit Paulus de Filio Dei : ἔπρεπε γὰρ Αὐτῷ, δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα, πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν διὰ παθημάτων τελειῶσαι · i. e. ex Verſione Vulgata: *decebat enim Eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat Auctorem ſalutis eorum per paſsionem conſummare*. Ex his Pauli verbis illud mihi deducendum videtur, *Vnionem Hypoſtaticam* Filii Dei contingere debuiſse, quamvis manſiſſet prima humanae conditionis integritas. Hic enim Apoſtolus innuit decuiſſe, ut per paſſiones Auctor ſalutis hominum perficeretur Ille, *per quem omnia* non ſolum, ſed etiam *propter quem omnia*. Quemadmodum ergo rerum creatio *per Filium Dei* nullam rationem habet ad lapſi hominis reparationem ; ita neque univerſarum rerum productio *propter Ipſum* ullam ad idem rationem habet. Quamobrem ſi res e nihilo a Deo eductae ſunt *propter Filium ſuum*, intelligenda mihi ſeſe offert Vnio Hypoſtatica, quamvis nullus interceſſiſſet innocentis hominis lapſus. Dum enim mecum ipſe reputo, Deum voluiſſe creari omnia *propter Filium ſuum* ; ſponte ſua illud etiam mihi venit in mentem, voluiſſe ipſum & infinitam ſui Nominis gloriam : At ex nuda rerum creatione nonniſi finita Divini Nominis extat gloria ; cum finiti creatarum rerum limites infinitam Deo gloriam producere nequeant ; inveſtigandus igitur mihi reſtat infinitae Dei gloriae fons. Sed ſi contempler *Vnionem Hypoſtaticam* Divini Verbi *propter quod*

omnia

omnia, fontem ſtatim intueor, unde ex rerum creatione infinita ad Deum gloria dimanet: pronum eſt igitur, ut intellecta univerſarum rerum productione *propter Dei Filium*, de Vnione quoque eiuſdem Hypoſtatica mihi perſuadeatur, quamvis nullae fuiſſent humani generis aegritudines, quibus medicinam adhibere oporteret.

Ex his illud etiam intelligo, cur Dei Filius magis, quam alius humanam aſſumpſerit naturam. Sicut enim Deus per Filium fecit omnia; ita & per Filium voluit σωματικῶς coniungi creata Divinis.

Haec eadem mihi videre videor in verbis etiam Apoſtoli (Coloſ. 1. 15.) ubi ait de eodem Dei Filio: ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου πρωτότοκος πάσης τῆς κτίσεως· ὅτι ἐν Αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα .... τὰ πάντα δι᾽ Αὐτοῦ, καὶ εἰς Αὐτὸν ἔκτισται· i. e. vertente Vulgato Interprete: *Qui eſt imago Dei inviſibilis, Primogenitus omnis creaturae: quoniam in ipſo condita ſunt univerſa ... omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt*: ubi poſtrema verba: *in ipſo creata ſunt*, ex vi Textus ſignificant *in ipſum creata ſunt*, ſcilicet *propter Ipſum*. Iſtud porro eſse *Primogenitum omnis creaturae; quoniam ... omnia per Ipſum, & in Ipſum creata ſunt*, mihi monſtrat *Vnionem Hypoſtaticam* cogitandi ratione praeceſſiſſe rerum creationem.

Quamobrem quantum mihi iſtud commendat Boni Dei φιλανθρωπίαν, qui mihi donavit Redemptorem per ſanguinem ſuum, eum Filium, cui praeſtituta erat eadem omnis Haereditas, quin aliquid ſolveret!

Atque haec cum & alii iamdiu ſenſerunt; tum non nulli etiam recenti memoria, rem eamdem inferre conati ſunt, ex ratione OPTIMI. At mihi *Optimiſmus* verbum eſt nihili: ſicut enim *verius*, & *veriſsimum* inania ſunt verba, cum veritas gradus non habeat; ita dum loquimur de bonitate finiti effectus, qui productus eſt a cauſſa infinita, eumque ad iſtam referimus, vocabula *melius* & *optimum* ſono quidem differre, ipſa tamen re pro BONO dicta cenſeri debebunt. Quamvis enim diverſos finitos effectus ejuſdem ordinis ab infinita cauſſa productos, ſi inter ſe comparentur, bonitatis gradibus diſcrepare iudicaverimus; ad infinitam tamen, quae eos produxit, cauſſam eamdem rationem habere noſcuntur.

Qua-

Quare si *Mundi melioris*, *&* *optimi* vocabula proferre lubeat, noverimus nos nihil amplius dicere, quam *Mundum bonum*; quemadmodum reapse opera Dei in Sacris Eloquiis BONA dicta sunt (Gen. 1. pluries, & Eccli. 39. 39.); & quemadmodum Apostolus (1. Tim. 4. 4.) dixit πᾶν κτίσμα θεοῦ καλὸν, *omnis creatura Dei bona est*, ut legimus in Vulgato Interprete; *nec est dicere: hoc illo nequius est* (Eccli. 39. 40.), καὶ οὐκ ἔστι εἰπεῖν, τοῦτο τούτου πονηρότερον. Et quamvis *omne quod fecit Deus* (Gen. 1. 31.)) dicatur טוב מאד, *bonum valde*; similique hebraica phrasi (Eccli. 39. 21.) τὰ ἔργα Κυρίου πάντα καλὰ σφόδρα, *opera Domini universa bona valde*; adverbium tamen VALDE *intensivum* est, non *comparativum*.

Verum quidem est a caussa absolute infinita, seu infinities infinita diversos effectuum ordines produci posse eius inter se rationis, ut unus ordo praecedenti infinities melior sit; ac propterea fateor *ordinem gratiae*, ut inquiunt, infinities distare ab *ordine naturali*; tantum enim abesse arbitror a nihilo creationem rerum; quantum ordinem gratiae a creatis rebus. Si igitur *Optimistae* suppositis ordinibus infinities melioribus semper, quam praecedens sit, se *Optimismi* nomine Bonitatem absolute infinitam intelligere dicant; tunc sane aliis vocibus incident in gloriam illam absolute infinitam ex Vnione Hypostatica Filii Dei ortam, & nulla inter nos erit contentio; cum vocis litem indicere sit multo ineptissimum.

Sat multis hac de re adnotatis aliud quidpiam observandum mihi restat in propositis Apostoli verbis. Animadverto igitur ad eumdem hunc locum provocare posse & nuperos illos Theologos, qui dicunt Hominum Iustorum animas etiam ante Christum, Deum in patria vidisse. Cum enim πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα Vulgatus Interpres transtulerit, *qui multos filios in gloriam adduxerat*, idcirco aliquis contendere poterit, inde inferri posse plures Iustos ante Christum, ob futura ipsius merita coelestis gloriae possessionem adeptos esse, quae bonis eorum operibus deberetur.

Ad illationem hanc plane avertendam unum illud obervo ex Bibliis N. T. certum esse, ante Christum nemiem, quantumvis pium & sanctum, & a culpis poenave so-

solutum in Coelum ascendisse ; adeoque Deum vidisse . Siquidem Ioannes Praecursor, Christum monstraturus ita homines alloqui incipit : *appropinquavit Regnum Coelorum*, (Matth. 3. 2.) . Simili ratione Christus Evangelii sui initium capiens exorditur : *appropinquavit Regnum Coelorum* (Mat. 4. 17. Mar. 1. 15.) ; rursumque mittens Apostolos Evangelii sui praecones, eisdem iniungit : *praedicate dicentes, quia appropinquavit Regnum Coelorum* (Matth. 10. 7. Luc. 10. 9. & 11.) Si igitur tunc demum *appropinquavit regnum coelorum*; profecto antea longe aberat, nec ullus adhuc in illud ascenderat, ut aeternum Dei visione frui inciperet .

Hoc idem demonstratur ex Petri alloquutione ad Hebraeos (Act. 2. 34.) ubi inquit : *non enim David ascendit in Coelum ; dixit autem ipse : Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis &c.* Petri scopus est ostendere, Davidem iis verbis vaticinatum esse de Christo : id autem ut ostendat, contentus est dicere, Davidem in Coelum non ascendisse, quod, ut apparet, necessario supponit, ab omnibus Iudaeis veluti certam traditionem admissum fuisse, Coelum ad Messiam usque clausum omnibus mansisse : id enim nisi supponerent verba Petri, respondere Iudaicus populus potuisset, a Davide pronuntiatum fuisse : *dixit Dominus Domino meo*, de Abraham, de Isaac, de Iacob &c. non de Christo ; adeoque ipsum inania loqui: quod & nunc dici posset, si quis ante Christum ad perpetuam Dei visionem pervenisset .

Quamobrem cum nullus ante Christum in Coelum ascenderit, dicendum plane vel in proposito Pauli loco ἀγαγόντα sumendum esse ut participium praesentis temporis *adducentem*; vel si de tempore praeterito cum Vulgato Interprete vertatur, *gloria* ea intelligenda non est, quae perfectam, aeternamque constituat Iustorum beatitatem, scilicet ob Dei visionem .

VI. Scribit Paulus Capite VI. ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα, μὴ πάλιν θεμέλιον καταβαλλόμενοι, μετανοίας ἀπὸ νεκρῶν ἔργων ..... ἐπιθέσεώς τε χειρῶν · κ. λ. i. e. iuxta Vulgatam Versionem : *ad perfectiora feramur, non rursum iacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis ...... impositionis quoque manum* &c. Manifestum est Apostolum hic praetermittere velle ea, quae pertinent ad prima Christianae

 Fidei

Fidei rudimenta; ac propterea *impositione manuum*, communiter intelligi solet *Sacramentum Confirmationis*. At siquis velit ibi indicatam *Sacram* quoque *Ordinationem*; is neque a Pauli mente, neque a reliquis Novi Testamenti dicendi rationibus aliena sentiet: utrumque enim in Novo Testamento iis verbis innuitur; & ad Fidei rudimenta pertinet.

Verum quidem est, dictionem *impositionis manuum* ad indicandum tantummodo alterutrum ex his duobus non semper adhiberi in Libris Novi Foederis: nam ut omittam impositas fuisse manus ad aegritudines levandas, aliaque huiusmodi; illud tantum advertam videri mihi *impositionem manuum* adhibitam quoque fuisse ad Christiana quaedam officia. Etenim (Act. 13.) existentibus Paulo, & Barnaba Antiochiae iussit Spiritus Sanctus eosdem segregari ad opus, ad quod eos advocaverat: Quamobrem discipuli, qui Antiochiae erant, *tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos*. Haec porro manuum impositio esse non potest nisi Christianum quoddam officium, quamvis nonnulli ibi descriptam censeant Pauli, & Barnabae *Sacram Ordinationem*. Paulus siquidem a Domino Apostolus constitutus est, ac Damasci per Ananiam Ordinatus, & *Incardinatus*. Quamobrem ibi statim obit munus Apostoli (Act. 9. 10.); tumque proficiscitur in Arabiam, reverriturque Damascum, ac tantummodo post annos tres venit Ierosolymam videre Petrum, praeter quem nullum alium Apostolorum ibi vidit, nisi Iacobum Fratrem Domini (Gal. 1. 17. & seqq.). Ob id itaque gloriatur Paulus se esse Apostolum *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum* (ibid. 1. 1.). Si ergo Paulus multo antea, quam Antiochiam venisset, *incardinatus* fuerat Apostolus, evidens est Antiochenos Paulo & Barnabae non imposuisse manus, nisi ob Christianum quoddam officium.

Similiter Lucas (2. Cor. 8. 19.) dicitur a Paulo, χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν Ἐκκλησιῶν συνέκδημος ἡμῶν, *ordinatus ab Ecclesiis comes peregrinationis nostrae*, ut legitur apud Vulgatum Interpetem: hic autem χειροτονηθεὶς de *sacra manuum impositione* intelligi non posse per se patet, cum idem a pluribus Ecclesiis *sacra ordinatione* inaugurari non posset. Intelli-

li-

ligendum est ergo Lucam ab Ecclesiis approbatum fuisse, ut comitaretur Paulum, idque confirmatum esse per ceremonialem manuum impositionem. Videtur hic ritus, non secus atque alii plures Christianorum, ex Hebraeis derivatus, qui consueverunt aliquem muneri cuipiam addicere manuum impositione, ut observavit Seldenus (de Synedriis Lib. 1. cap. 14.). Quamquam autem haec omnia veluti indubia admittantur; certum tamen est, Apostolum has *manuum impositiones* hoc in loco non respicere, quippe quae longius a Fidei rudimentis abesse noscantur.

VII. Capite X. 5. Apostolus ex Persona Christi haec profert: θυσίαν, καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι· i. e. *hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*. Notum est ea verba desumpta esse ex Versione LXX Interpretum (Ps. 39. 6), qui ita verterunt hunc versiculum Psalmi Hebraeis XL. זבח ומנחה לא חפצת אזנים כרית לי i. e. ad litteram: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures fodisti mihi*. Quamquam autem fatendum sit, hanc LXX Interpretum expositionem, qua Divus Paulus usus est, alienam non esse a sensu vaticinii Psalmistae; nonnulli tamen Critici Viri conati sunt, vel litteram Graecam cum Hebraica componere. Itaque Isaac Vossius suspicatus est, vel Hebraicam vocem אזנים *aznaim* non tantum *aures*, sed etiam *corpus* significare posse; vel locum a Iudaeis corruptum fuisse. Sed neutra coniectura ullos nacta est sectatores.

Usserius vero (de edit. LXX Int. pag. 85.) coniicit Hieronymi aetate in Graeca Versione extitisse: ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι, quod Hieronymus idem in suis Bibliis ad Graecorum Codicum fidem correctis ediderit: *Aures autem perfecisti mihi*, nullum hic adnotantibus discrimen Graecam inter & Hieronymi editionem Sunia, & Fretela, cum longe minores differentias animadverterint. Addit Eusebium Caesareensem (Comm. in Ps.) interpretatum fuisse: *Aures meas, & eloquiorum tuorum obedientiam perfecisti mihi*. Atque ex his colligit veteres Graecos Codices LXX Interpretum habuisse ὠτία, non σῶμα.

Lambertus Bos quoque in Prolegomenis ad suam Editionem LXX Interpretum, eamdem coniecturam confirmare nititur, persequendo viam, quae Amanuensem in errorem du-

cere potuerit. Observat itaque haud raro antiquis in Codicibus, ubi deerant vocum intervalla, litteram σῖγμα etiam in fine vocis contra ius bis scriptam fuisse. Sic (Eccles. 10. 15.) in Codice Alexandrino legitur ΜΟΧΘΟϹΤΟΥΑΦΡΟΝΟϹϹΚΟΤΩϹΕΙ ΑΥΤΟΝ, ubi irrepsit σκοτώσει, pro κοπώσει, ob eam litteram repetitam in fine vocis τοῦ ἄφρονος: Et in Codice *Marchali* (Esai. 40. 3.) habetur ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου ΔΙΑΤΗϹϹΑΒΒΑΤΟΥ pro ΔΙΑ ΤΗϹ ΑΒΑΤΟΥ: Et apud Iulianum (Ep. ad Athen.) ἐπὶ τὰς σκοτίας ἄλπεις, pro ἐπὶ τὰς κοττ'ας ἄλπεις. Ex his itaque coniicit Bos & in proposito Psalmi loco, initio Amanuensis oscitantia irrepsisse ΗΘΕΛΗϹΑϹϹΩΤΙΑ, indeque ab alio Amanuensi correctum ΗΘΕΛΗϹΑϹϹΩΜΑ, atque hanc scribendi rationem demum invaluisse.

Verum quoad Vsserium, is nimium tuto supponit Divum Hieronymum Latinos Psalmos edidisse iuxta Versionem LXX Interpretum. Immo enim ex eius Praefatione in Psalmos ad Sophronium apparet, eiusdem Psalterium editum esse iuxta Hebraicum textum. Eusebius Caesareensis pariter Hebraicos adiit fontes: & adiutor fuit Pamphilo Martyri in supplenda editione LXX Interpretum ex Origenis Hexaplis in usum Ecclesiarum Palaestinae; unde & *Editio Palaestina* nominata est, & omnium plausu recepta, ut novimus ex Hieronymo (Praef. in Paralip. ad Chromat.). Quamobrem Suidas ait Eusebium τῆς θείας βιβλιοθήκης ἅμα Παμφίλῳ τῷ Μάρτυρι ἐπιμελέστατον ἀνιχνευτήν· *Divinae Bibliothecae una cum Pamphilo Martyre diligentissimum investigatorem*. Et Hieronymus (Praef. in Ios. & Apol. 2. adv. Ruf.) observat, Eusebium in explicandis Scripturis consuevisse, *cunctas editiones similiter edisserere*. Quin Eusebius ipse, ne multa afferam, (Comment. in Psalm. in Caten. ad Ps. 113.) ut statueret postremos versus ad eumdem Psalmum pertinere, non ad sequentem, iuxta exemplar quod in manibus habebat, Hebraicum Psalterium adiit, & scripsit: ἐπειδὴ δὲ ἐγκύψας αὐτῇ τῇ ἑβραίων βίβλῳ τοὺς αὐτῶν χαρακτῆρας συνημμένους εὗρον, καὶ τὰς λέξεις, ἐπέστησα καλῶς ἀκολουθῆσαι τῇ ἑβραίων βίβλῳ· *Postea vero cum Hebraeorum Librum inspiciens eorum characteres simul & dictiones coniunctas esse reppererim, censui rite sequendum esse Codicem Hebraeorum*.

Quoad coniecturas vero Lamberti Bos, mihi videtur

non

non omnibus persuasum fore de illo Amanuensium lapsu. Nam Alexandrinus, & Vaticanus Codices, qui omnium vetustissimi extant, & in plurimis discrepant, hic ambo habent σῶμα; similique ratione reliqui omnes Graeci Psalmorum Codices: omnia pariter Graeca exemplaria Novi Testamenti in Epistola ad Hebraeos totidem litteris locum describunt. Quis igitur sibi persuadeat tot Amanuenses, tam diversarum regionum atque aetatum in utroque Divini Eloquii Libro in eumdem lapsum incidisse? Praetereo Apostolum (ibid. v. 10.) videri arguere ex versione LXX Interpretum, ut nunc legimus, dum inquit: ἐν ᾧ θελήματι ἡγιασμένοι ἐσμὲν διὰ τῆς προσφορᾶς τοῦ σώματος τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐφάπαξ i.e. *in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel*; video enim, qui haec declinandi animum habeat, eum aliis rationibus circumcludi non posse.

Neque haec equidem dicere audeo, quod istud coniecturae genus cum plurimis flocci faciam: immo enim Lambertum Bos ingeniosissime coniecisse arbitror, licet de hac eius coniectura persuasum mihi non sit; & vere sentio eiusmodi tentamina commendationis laude digna esse, cum persaepe accidat, ut obscurissimis locis perspicuam lucem afferant. Sic felici prorsus omine Ioannes Millius in Prolegomenis ad suam editionem Novi Testamenti (num. 626.) perobscurum apud Tertullianum locum hac ratione illustravit: Scilicet Tertullianus illud Pauli (Hebr. 6. 4. & seqq.) ex nescio qua versione sic attulerat: *Impossibile est eos, qui... verbum Dei dulce gustaverunt*, OCCIDENTE IAM AEVO, *cum exciderint, rursus renovari in poenitentiam*. Millius ergo nihil absurdius esse posse verbis *occidente iam aevo* perspiciens scite coniicit Auctorem illius versionis incidere debuisse in Graecum exemplar, in quo quaedam litterae non apparerent, & pro ΔΥΝΑΜΕΙΣΤΕ ΜΕΛΛΟΝΤΟΣ ΑΙΩΝΟΣ *virtutesque venturi seculi* apparuisse tantum ΔΥΝΑΙ ΣΤΕΜΕΛΛΟΝΤΟΣ ΑΙΩΝΟΣ, quod cum vitiosum videret Interpres, vertit non secus ac, si Paulus scripsisset δῦναι ἔτι μέλλοντος αἰῶνος.

Eamdem iniit viam humanitatis suae gratia Vir Clarissimus, Dominus Mercier Canonicus Regularis, Parisiisque

que Praefectus Bibliothecae Sanctae Genovefae, (Memoires pour l' Histoire des Sciences, commencés d' être imprimès l' an. 1701. à Trevoux, Octobre 1765. Vol. II. pag. 1051.), ut mecum componeret Franciscum Jacquier. Siquidem cum anno 1764. demonstrassem Didymo Coeco reddendos esse Tres Libros de Trinitate tunc detectos, ipse Jacquier (in Ephemeride Litteraria Europae, Mense Augusti Num. V.) statim meam sententiam ἀνωνύμως in suspicionem adduxit ob tres dicendi rationes, quae ipsi videbantur abesse admodum ab illius Didymi aetate, & magis coevae Petro Lombardo. Duarum itaque phrasium ex iis quae ipse in iudicium vocaverat exempla ex Cyrillo Alexandrino, aliisque illorum temporum Scriptoribus ei obtuli in meo *Additamento* Septembri ineunte edito: quoad tertiam vero dicendi rationem, rei quidem vetustatem ostendi, sed voces apud Scriptores Ecclesiasticos eius aetatis nondum repereram. Is ergo an. 1765. Mense Februar. *suo nomine* scripsit ad Auctores illius *Ephemeridis*, & crambem recoquens inquit „ on ne peut nier „ que le mot ἀμεγεθὲς (sic) ne soit très usité dans les Anciens „ Auteurs. Mais ne pourroit-on pas demander, si ce mot „ convient à l' Etre Suprême, & s' il lui a jamais été ap„ pliqué? il signifie proprement *petitesse*, *sans grandeur*, „ ces significations sont indignes de l' Immensité Divine. „ Quant aux mots ἀνειδεος, ἀνεθελησία, il faut convenir, qu' ils „ se trouvent, &c. „ Quamobrem hanc Epistolam cum legissem, & vocem ἀμέγεθες eo sensu adhibitam investigavi, reperique scriptum a Divo Cyrillo Alexandrino (Cap: I. adv. Antropomorph. Opp. Tom. VI.) ἔστι τὸ Θεῖον ἀσώματον, ἄποσόν τε, καὶ ἀμέγεθες, καὶ οὐκ ἐν εἴδει περιγράπτῳ· *Divinitas est expers corporis, quantitatis & magnitudinis, neque forma circumscripta continetur;* atque hunc locum cum Domino Mercier communicavi, qui (loc. cit.) perhumaniter edidit, & cum eo ingeniose conciliare studuit eum, qui contraria sentire se videri volebat inquiens: „ Il suffiroit de conjectu„ rer, que tant dans S. Cyrille, que dans l' Ouvrage sur „ la Trinité le mot ἀμέγεθες est une faute de Copiste au lieu „ d' ἀμέτρητον, *expers mensurae*, qui va tres-bien avec ἄπο„ σον, *expers quantitatis*, employé par S. Cyrille. Il est „ aisé de concevoir, qu' une mauvaise ligature du T avec

„ le

„ le P dans *ἀμέτρητον* a pu être prise pour un γ , ce qui „ aura produit *ἀμέγητον* , mot défiguré , que quelque Copi- „ ste posterieur aura prétendu corriger depuis en écrivant „ *ἀμέγεθες* . Cela supposé ce dernier mot sera aussi déplacé „ dans S. Cyrille que dans les Livres de la Trinité ; mais „ aussi n' en pourra-t-on rien conclurre contre le P. Minga- „ relli . „ Haec Vir Cl. qui & sapienter admodum rem versavit, & Divi Cyrilli verba pro me edidit ; quam ob rem in haec digressus sum , ut publice ei gratias agerem : neque enim aequum erat , ut eorum tantummodo gratia verborum Francisco Jacquier ulla ratione responderem, quippe qui aliud nihil praeterea in me regesserit quam maledicta : quare si vicem rependere voluissem , *duo maledici essemus* , ut Hieronymi verbis utar (contra Ruf.) : Mea vero sententia est , deserendas plane esse litterarias lites, cum novi nihil habemus, quod cum Litteratis Viris communicemus : cetera enim eruditorum hominum honesto iudicio permittenda sunt .

Quamquam vero (iam enim in haec incidi) confido Cl. Dominum Mercier nunc mecum consensurum retinendam esse vocem *ἀμεγέθης* . Etenim idem Cyrillus (Lib. I. in cap. III. Ioan.) similiter inquit : *ἀμεγέθης , ἄποσός τε , καὶ ἀσώματος ἡ Θεῖα νοεῖται , καὶ ἔστι φύσις· Magnitudinis , & quantitatis, & corporis expers intelligitur , & est Divina Natura .* Difficile enim ipsi nobis persuadere poterimus , omnia haec loca eadem ratione ab omnibus Amanuensibus corrupta fuisse. Quare iure nunc exigere posse mihi videor à Jacquier, ut & phrasim *ἀμέγεθες* de Deo usurpatam fateatur ; & repudiet ineptam suam eius vocis interpretationem *petitesse* .

VIII. Capite XIII. 7. inquit Apostolus : *μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν , οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ , ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς , μιμεῖσθε τὴν πίστιν .... πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν , καὶ ὑπείκετε· αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν ὡς λόγον ἀποδώσοντες .... ἀσπάσασθε πάντας τοὺς ἡγουμένους ὑμῶν·* i. e. ex Vulgato Interprete: *mementote Praepositorum vestrorum , qui loquuti sunt vobis verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem ....* (V. 17.) *obedite Praepositis vestris , & subiacete eis : ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddi-*

turi

sturi .... (v. 24.) *salutate omnes Praepositos vestros*. Notissima res est Presbyterianos Episcopis nil aliud concedere supra reliquos Presbyteros nisi πρωτοτοκίας, & πρωτοκλησίας, *primogeniturae* dixerim, & *praevocationis* praerogativam. Hi utique Haeretici non solum ab Orthodoxis Doctoribus, sed & ab Heterodoxis ita in arctum desilire compulsi sunt, ut pedem inde referre nunquam potuerint. Verumtamen existimo eosdem Haereticos arctius adhuc concludi, si in eos intorqueatur ratio ἡγουμένου. Certum est enim in Libris Novi Testamenti ἡγούμενον, aut ἡγεμόνα veram potestatem, & iurisdictionem significare. Sic Christus (Luc. 22. 26.) inquit: γενέσθω... ὁ ἡγούμενος ὡς ὁ διακονῶν· i.e. *qui Praecessor est, fiat sicut ministrator*: hic autem evidens est ἡγούμενον, *Praecessorem* redditum a Latino Interprete *iubentis* notionem adnexam habere, cum *ministranti* opponatur. Eadem res per se patet ex Actibus Apostolorum. Etenim (Cap. 7. 10.) de Ioseph filio Iacob dicitur: κατέστησεν αὐτὸν ἡγούμενον ἐπὶ Αἴγυπτον καὶ ὅλον τὸν οἶκον αὐτοῦ· *constituit eum* (Pharao) *praepositum super Aegyptum, & super omnem domum suam*. Et (Cap. 14. 11.) cum Lystris Paulus comite Barnaba sanasset claudum ex utero matris, populus extulit vocem dicens: οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς· ἐκάλουν τε τὸν μὲν Βαρνάβαν Δία, τὸν δὲ Παῦλον Ἑρμῆν, ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos: & vocabant Barnabam Iovem, Paulum vero Mercurium; quoniam ipse erat dux verbi*. Quis non videat his in locis ἡγούμενον auctoritatem, & iurisdictionem innuere? Quamvis enim altero in Textu ἡγούμενον quis referre velit ad Paulum, non ad Mercurium: evidens tamen est Paulum potestate & iurisdictione praecelluisse Barnabae non πρωτοτοκίᾳ tantum & πρωτοκλησίᾳ.

Fateor equidem Presbyterianos conatos esse seipsos tueri quorumdam Patrum auctoritatibus. At licet Orthodoxi Theologi eorum conatus irritos fecerint; blandior tamen ipse mihi si Deus dederit, ut observationes meas hac de re, quae Spicilegii limites excedunt, aliquando in lucem emittam, omnia plane perspicua futura esse.

PRO-

PROPOSITIONES SELECTAE
AD EPISTOLAM AD HEBRAEOS
CONTRA QVAS SINGVLI POST PRIMVM DICERE POSSVNT.



I. Epiſtola ad Hebraeos Auctorem habet Paulum Apoſtolum.

II. Graece autem ab ipſo ſcripta fuit.

III. Haec Epiſtola Divinae Auctoritatis eſt.

Ad Cap. I. 3.

IV. Concilium Nicaenum I. *hypoſtaſin* pro *eſſentia*, & *ſubſtantia* uſurpavit.

V. Divus Athanaſius vero *hypoſtaſin* adhibuit, tum hoc in ſenſu Nicaenorum Patrum, tum pro Eſſentia Divina, quatenus eſt, aut Pater generans; aut Filius, qui gignitur; aut Spiritus Sanctus, qui ſpiratus eſt.

VI. In Epiſtola Arii ad Alexandrum Alexandrinum Epiſcopum haec verba: ὥς τε τρεῖς εἰσιν ὑποστάσεις, vertenda cenſemus iuxta hunc ſenſum: *quaſi tres ſint ſubſtantiae*; non: *Quamobrem tres ſunt ſubſtantiae*. Inſuperque cenſemus haec verba: Πατὴρ, Υἱὸς, καὶ Ἅγιον Πνεῦμα: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, quae iis ſtatim adiecta ſunt, tum apud Epiphanium, tum apud Hilarium Arii non eſſe, ſed ab alio inſerta.

VII. Licet Conciliorum, & Patrum alii *hypoſtaſin* ſumpſerint in ſenſu Nicaenorum Patrum; alii vero in altero Athanaſii ſenſu; in doctrinam tamen Eccleſiaſticam nulla contradictio, aut repugnantia invecta eſt.

VIII. Paulus vero dum hic inquit de Filio Dei: ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ: hoc est: *qui cum sit splendor gloriae, & figura substantiae eius*, monstrat Filii Divinitatem, & Consubstantialitatem cum Patre, utrovis in sensu intelligatur *hypostasis*.

IX. Iacobus Capellius temere, & inscite vellicavit Vulgatum Interpretem, quod hic *hypostasin* verterit *substantiam*.

Ad Cap. I. 14.

X. Ex omnium Coelestium Spirituum Ordinibus aliquos a Deo mitti in ministerium censemus.

Ad Cap. II. 2.

XI. Angelum, qui missus est ad Hagar (Gen. 16.) fuisse merum Angelum asserimus.

XII. Tres illi Viri, qui visi sunt Abrahae (Gen. 18.) non fuere Tres Trinitatis Personae.

XIII. Neque Dei Filius duobus Angelis stipatus.

XIV. Similiter duo illi Viri, qui (Gen. 19.) venerunt ad Lot, erant tantummodo Angeli creati.

XV. Cum tamen *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulfur & ignem a Domino* (Gen. 19. 24.), contendimus declarari distinctionem Personarum in Deo.

XVI. Angelus, qui Mosi apparuit in monte Horeb, non erat Deus, vel Dei Filius, qui per se Mosen alloqueretur, sed ipsum allocutus est meri Angeli ministerio.

XVII. Pariter in monte Sina Lex Populo data est a Deo per Angelos, non per se ipsum, aut per Filium suum sensibili specie indutum.

Ad

Ad Cap. II. 10.

XVIII. Vnionem Hypostaticam Filii Dei futuram fuisse censemus, conservata etiam ab homine primae conditionis integritate.

XIX. Id tamen non asserimus ex ratione Optimi, quam in agendo sequatur Deus; hanc enim prorsus respuimus.

XX. Cum e Sacris Novi Foederis Libris certum sit, Neminem Piorum Hominum ante Christum eam beatitatem adeptum esse, quae sita est in Dei visione; idcirco asserimus, hunc Apostoli locum favere non posse iis, qui dicunt, Hominum Iustorum Animas, quibus luendum nihil erat, ante Christum ad aeternam Dei visionem pervenisse.

Ad Cap. VI. 2.

XXI. Quamvis Paulus *impositione manuum* hic innuere censeatur Sacramentum Confirmationis: aliena tamen a mente Apostoli non dicet, qui statuat ibi eum innuere & *Sacram Ordinationem*.

XXII. Censemus tamen impositionem illam manuum, quae facta est Antiochiae super Paulum, & Silam (Act. 13. 3.) non fuisse Sacram Ordinationem, sed merum Christianae benevolentiae, & dimissionis officium.

XXIII. Pro certo enim habemus Paulum a Domino constitutum fuisse Apostolum, dum is Damascum proficisceretur: promulgatum autem per Ananiam; & ab hoc *incardinatum* Damasci.

Ad Cap. X. 5.

XXIV. Eadem est vis, sive legamus cum Hebraeis (Psal. 40. 7.) *aures fodisti mihi:* sive cum

LXX Interpretibus, & cum Divo Paulo σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι: *corpus autem aptasti mihi*.

XXV. In Codicibus LXX Interpretum Amanuensis vitio eo in loco Psalmi irrepsisse σῶμα pro ὠτία ingeniosa quidem coniectura est; sed verisimilitudinem non habere censemus.

Ad Cap. XIII. 7. 17. & 24.

XXVI. Et ex voce ἡγουμένων, qua Paulus indicat *Praepositos* Ecclesiarum, demonstratur Episcopos Divino iure Presbyteris superiores esse: quamvis Divus Hieronymus in Caput I. ad Titum hinc deduxerit olim eosdem fuisse Presbyteros atque Episcopos.

XXVII. Quoniam vero incidimus in sermonem de Divi Hieronymi sententia circa Episcopos & Presbyteros, dicimus eiusdem sive scribentis Epistolam CI. ad Euangelum, olim LXXXV. ad Euagrium; sive edisserentis Caput I. Epistolae ad Titum: eius, inquam, mentem fuisse Episcopos a Presbyteris *Sacramento Ordinis* non differre; sed tantum auctoritate, potestate, & iurisdictione, ex Divino utique iure profecta. Neque alia ratione quaecunique ibi Sanctus Doctor hac de re scripsit, prorsus explanari possunt.

XXVIII. Eamdem quoque censemus fuisse mentem Auctoris Commentarii in Epistolam ad Ephesios, qui habetur inter Opera Ambrosii.

XXIX. Similique mente plurima Augustini, Ioannis Chrysostomi, & Theodoreti loca scripta fuisse intelliguntur.

XXX. Quare siquis & nunc eadem senserit, is neque revinci, neque iure poterit reprehendi.

40